

Illustrissime atque Amplissime Domine,

1607. 2. cf. n. 700.

Non potuit mihi unquam excidere è memoria quanta cum humanitate ac benevolentia me, quo tempore à patria extorris Romae ad aliquot annos commorabar, Ill/mam Ampl.Vram pro mea erga te observantia frequentius invisentem complecti assueverit. Quod quidem licet hactenus nullis à meo ab Urbe discessu ad Ill/mam Ampl.Tuam datis literis testatus fuerim, veritus nimirum ne gravissimas tuas pro Ecclesia Dei occupationes sine rationabili causa interromperem; cum tamen ad Apostolicam Sedem aliquis è nostris à me necessariò destinandus jam esset, nolui amplius tam commoda oblata opportunitate diuturnam meam erga Ampl.Tuam observantiam intestatam relinquere; praesertim cum et singularis tua in gentem Anglicanam propensio plurimis argumentis probata, et gratus tot Sacerdotum nostratium, qui tuis studiis scriptisque profecerunt, affectus, et praeclara denique Ampl.Tuae in Ecclesiam ac Religionem Catholicam merita hoc à me quodammodo exigere videantur. Accedit, quod cum ego quadraginta quatuor abhinc annis doctissimarum Praelectionum tuarum tum in Controversiis, tum etiam in Hebraicis non indiligens auditor fuerim,, gratiam aliquam ob tantum beneficium remetiri debeam. Patere ergo Ampl/me Domine, ut tot nominibus tibi obligatus, aliquod tandem grati animi sui et observantiae testimonium tibi offerat consignetque, ne prolixiore silentio vel mei muneris oblitus, vel tui meriti ac dignitatis iniquus aestimator existimer. Etenim si eminens virtus, si spectabilis integritas, si doctrina excellens, si humanitas singularis ex eorum genere sint, quae per se honore digna censeantur, iure quidem ea in te ab omnibus, maxime vero ab eo qui tibi plurimum debet, colenda atque in summa veneratione habenda sunt: proindeque nihil omittendum, quod ad ejusmodi cultus significationem conferre possit.

Scio Ill/mam Ampl.Tuam pro charitate sua avere intelligere quo in loco omnia apud nos sint: sed ea, ne literarum prolixitas Ampl/di- ni Tuae taedio sit legendo, coram referenda relinquo praesentium la-

/ tori D.Joanni Bennetto, uni ex Assistantibus meis, Sacerdoti gravi,
pio, docto, prudenti, multique meriti in hac vinea, in qua viginti
quinque continuos annos animabus lucrandis gnaviter incubuit, atque
etiam vincula pro fide passus est; quam propterea Ill/mae Ampl/dini
5 Tuae cupio plurimum commendatum. Eum quidem meo atque Assistantium
meorum nomine Romam destinavi, ad S/mum D.N. de rebus quibusdam ad
Remp.Anglicanam pertinentibus plene informandam, et quae proinde ad
Cath/cae Religionis incrementum facere videbuntur, à Sua Sanctitate
omni potestatis plenitudine munita, pro re nata sedulo impetranda.
10 Mihi plane persuadeo Ill/mam Ampl.Tuam, quae tum affectu, tum effectum
ipso quotidie excubat pro salute et dignitate Universalis Ecclesiae,
eidem D.Bennetto auctoritate sua, qua potest, in omnibus assisturam.
Id certe à te tam illius, quam mei ipsius et universi Cleri Anglicani
causa, quam humillimis precibus contendo. Quod reliquum est, Deum
15 Opt.Max. rogare non cesso, ut qui Ampl/dini Tuae magnas virtutes cum
magna auctoritate dedit, earundem fructum ad maiorem Ecclesiae suae
utilitatem maxime diuturnum esse velit. Datum Londini

Illustrissimae Amplitudinis Tuae

observantissimus

20 Gul. Harris.

Farm Street. "Roman Letters" 1620=1623 n.19. copie, la signature
et la date = ajoutées au crayon

Au dos: D.Harris Archip/r Car/li Bellarmino An.1621 sed moritur
antequam destinarentur.(11 mai)